



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs VI. De vnitate specifica materiæ componentis essentialiter
corpus naturale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

que sunt, existuntque, postea incipiant esse non entia, & nihil; cur è contrario eadem materia non appellatur maximè ens: siquidem teste Aristotele 1. œconom. cap. 3. & 2. de gener. cap. 9. text. 5. 1. est causa existentia & conseruationis rerum omnium sublunarium, nouasque semper dispositiones, & formas suscipiendo, facit, vt omnium entium species in ratione entium vniuerso constent, & conseruentur? Occurrit tamen ad hanc dubitationem facile potest: primò si asseratur materiam à Platone, & aliis, vt visum est, non solum paruum appellatam esse, sed etiam magnum: quod perinde est, ac si eam nuncuparent, non tantum non ens, & nihil, sed etiam ens & aliquid. Item secundò, cum denominatio sequatur debiliorem partem, vt est in communi proverbio, quid mirum, si frequentius dicatur materia non ens, & nihil, aut propè nihil, à rerum interitione, cuius est principium, quam ens à conseruatione & existentia rerum, quæ ei veluti causa debetur? Hactenus prima pro contraria opinione obiectio.

23 Obiicies pro ea secundò. Non est potior ratio, cur assignari debeat inter omnia entia ens aliquod perfectissimum, nempe Deus, quam etiam inter omnia entia ens aliquod imperfectissimum: hoc autem aliud esse non potest, quam materia prima, quæ de facto existit: ergo &c. Respondeo negata maiori: nam potius ex ente perfectissimo sequitur impossibilitas entis imperfectissimi, quam eius possibilitas; cum certò certius sit, primi ac perfectissimi entis perfectionem commendari, ex eo quod habeat sub se entia creata, non tantum magis & magis perfecta, sed etiam minus & minus perfecta in infinitum, quæ possit producere; ita vt quemadmodum non est assignare inter entia creata ab eo producibilia perfectissimum, sic nec imperfectissimum. Insuper, vt c. 1. dicebamus, nullus numerus ab vnitatem summè recedit: nulla ergo creatura à Deo summè vno summè recedere potest, aut ita, vt non possit dari alia, quæ magis ab eo distet, ac proinde sit imperfectior. Tandem, vt ibid. dicebamus, nulla quantitas continua permanens, aut successiua, assignari potest minima. Similiter ergo in presenti, &c.

24 Obiicies tertio, pro eadem sententia. Materia prima est pura potentia: sed pura potentia est imperfectissima entium, sicut purus actus est inter entia imperfectissimus: ergo. Respondeo materiam iuxta disputata superius tract. 2. cap. 4. non esse puram potentiam entitativam, sed tantum puram potentiam passiuam substantialem, hoc est ita receptiuam formarum substantialium, vt ipsa haud sit forma substantialis: at, vt esset imperfectissima entium omnium, priori modo, non posteriori deberet esse pura potentia.



TRACTATUS VI.

De vnitatem specifica materiae componentis essentialiter corporis naturale.

CAPVT PRIMVM.

Materiam omnem sublunarem esse vnius speciei, posse tamen esse specificè diuersam, verius est.

1  VOD omnis sit de facto vnius speciei tueretur Hurtadus d. 2. Phys. sect. 5. Suarez in Met. d. 1. sect. 1. num. 15. Tellez d. 12. Phys. sect. 4. conclus. 1. Conimb. lib. 1. de cœlo cap. 9.

q 6. art. 4. & quod caput est, Arist. lib. 1. Phys. text. 69. & beatus Thom. 1. p. q. 66. art. 2. Probatur, quia nulla diuersitas per accidens, & contingenter talis variat speciem; aut essentiam: alioqui homo albus v. g. & homo niger erunt non vnius, sed diuersæ speciei: At tota diuersitas vnius materiae sublunaris ab alia est quasi per accidens, & contingenter talis: materia enim inanimis animari potest, solèturque: & animata formam sortiri inanimem: & quæ vni formæ subest, potest cuicumque alij subesse, adeoque dissimilitudinem, & diuersitatem à forma sua prouenientem deponere, & alteri materiae, cui dissimilis erat, adimulari. Ergo, &c.

2 Quod verò possit vna materia sublunaris, & corruptibilium formarum susceptiua, diuersæ esse speciei ab alia, probabilius longè est, nisi valde fallor. Etenim quæ repugnantia esse potest in eo, quod aliqua materia sublunaris quarundam formarum corruptibilium sit receptiua, & non omnium, alia verò aliarum, & non priorum? Cur implicet materia apta suscipere solas formas corruptibiles, non vitales, haud verò ad vitales & vitæ expertes ex æquo indifferens, sicut quæ de facto existit? An non subiectum substantiale completum formarum accidentalium, aliquod has, aliquod solas illas, non verò quodlibet quaslibet recipere potest? quidni ergo & ipsum in subiecto formarum substantialium corruptibilium, nempe materia prima sublunari, seruata proportionem, possit euenire?

3 Contrarium tamen tueretur Pater Suarez disp. 13. Metaph. sect. 1. 2. num. 6. & Pater Balchazar Tellez d. 22. Phys. sect. 4. num. 5. & cum eis alij, præsertim Thomistæ. Ex quibus obiicies primò. Materia prima sublunaris est pura potentia, nullam habens perfectionem, nullum actum entitativum de se: non ergo potest specificè multiplicari; haud aliter ac è conuerso actus purus, ab omni potentialitate semotus, nempe Deus, nequit specificè multiplicari. Obiicies secundò. Actus est qui distinguit, vt fert commune proloquium: at nomine actus forma intelligitur, vtpotè quæ subiectum actuat, sola ergo forma est radix distinctionis, ac multiplicatis specificæ, ac proinde materia prima sublunaris secundum se, & seorsim à forma sumpta nequaquam poterit quoad speciem multiplicari. Obiicies tertio: Materia sublunaris debet esse subiecta priuationi formarum, sed priuatio formarum ad has importat capacitatem: materia ergo sublunaris debet esse capax formarum omnium corruptibilium: adeoque per respectum ad illas haud potest specie diuersificari.

4 Quarta, & eodem redit: formæ omnes corruptibiles ac sublunares conueniunt in ratione separabiliter informandi: per ordinem ergo ad eas, & hanc earum informandi rationem, potest constitui vna species infima materiae, quæ alia esse non potest, quam materia de facto existens. Quintò, si est possibilis vna materia sublunaris diuersæ speciei ab alia, hoc est formarum quarundam corruptibilium capax, quarum est incapax alia; quidni possibilis adstruatur materia prima solarum formarum spiritualium receptiua? Consequens autem hoc est absurdum: quia compositum ex tali materia & forma spirituali esset spirituale: esset quidem spirituale: quid enim haberet non spirituale? non formam; quippe quæ supponitur spiritualis: non materiam; vtpotè quæ cum sit subiectum formarum spiritualium, & nullarum corporalium, haud potest non esse spiritualis: non denique vñionem, nimirum quæ nequit non sequi spiritualitatem extremorum suorum. Illud autem idem compositum non fore spiri

spirituale patet, quia compositio ex actu & potentia repugnare videtur enti spirituali & simplicitati eius propriae.

5 Ad primum respondeo, materiam, ut sapissime dictum est, haud esse puram potentiam entitativam, sed potius propriam habere entitatem, & actualitatem: quidni ergo eius merito distingui possit in plures materias specie diuersas? sicut forma, propter propriam, quam sibi vendicat, entitatem & actualitatem, capax est inaequalitatis specificae, eiusque multiplicatis, & varietatis, quam in toto hoc vniuerso suspicimus. Deinde omnis materia specificè distinguitur à forma substantiali: & tamen iuxta aduersarios, omnis est absolute pura potentia, cur ergo vna materia sublunaris specificè distingui non possit ab alia, quamuis alterutra sit pura potentia? Tandem paritas desumpta ab actu puro entitativo, nempe Deo, nulla est; alioqui, sicut Deus, quia est actus purus, non potest numero distingui, aut multiplicari, fieretiam materia prima, quia est pura potentia, haud posset numero distingui, aut multiplex esse.

6 Ad secundum respondeo, nomine actus, cuius sit proprium distinguere, intelligendam esse formam logicam, seu differentiam, aut quasi differentiam, non verò formam physicam, de qua est sermo: alias nec Deus & Angelus à rebus corporeis possent specificè distingui: quippe forma physica minimè præditi: nec etiam (ob eandem rationem) daretur vlla distinctio specifica inter materiam ut sic & formam, aut numerica inter vnam materiam sublunarem, & aliam: atqui materia prima secundum se, & præcisè sumpta, formam logicam, seu differentiam sibi vendicat. Cur ergo, ratione illius, non solum à forma physica, verum etiam ab alia materia, specificè nequeat differre?

7 Ad tertium respondeo, materiam sublunarem debere esse subiectam priuationi formarum; non omnium sed aliquarum: unde fit eam necessario esse capacem aliarum formarum, præter eas quas habet, non tamen omnium. Ad quartum respondeo, nihil eo conuinci, nisi quod possit dari vna species infima materiae sublunaris, receptiua omnium formarum corruptibilium, & in ordine ad eas earumque informandi rationem, constituta: hoc tamen non prohibet, dari aliam speciem materiae sublunaris, non sub priori illa specie contentam, sed ab ea omnino diuersam, quæ aliquarum determinatè formarum corruptibilium, non omnium, sit receptiua. Et quidem ut vna species dicatur contineri sub alia, essetque ea inferior, haud satis est, vnius terminum & obiectum minus latè patere, quam alterius obiectum, ut liquet in sensu communi, & quouis sensu externo, quorum neuter subiicitur alteri, tanquam rationi superiori, esto vnius obiectum contineatur sub obiecto alterius, nec tam latè extendatur.

8 Ad quintum respondeo, pone quidem dari materiam receptiuam solarum formarum spiritualium, siue non omnino corporearum: quæ enim in hoc repugnantis esse potest? compositum autem ex ea materia & forma resultans esset spirituale simul, & materiale, non verò omnino spirituale: neque non etiam quæuis eius pars aliquid haberet materialitatis cum spiritualitate coniunctum. Hæc tamen latius explicare non est huius loci, sed ad metaphysicam spectat. Interim animaduerto tali materia nequaquam constare Angelos, sed potius cuiuscumque materiae esse omnino expertes, ut contra Alensem, Richardum, Aureolum, & Auicembron, docent ceteri communiter scolastici, quorum multos referunt sequunturque Franc. Amicus tit. 1. disp. 3. f. 3. & Gilius lib. 1. tr. 1. c. 4.

CAPVT II.

Materiam sublunarem esse vnius speciei cum materia celesti probabile est.

9 **S**upponit hæc assertio, necnon ea, quam, seq. capite trademus, Cælos materia prima, constare & ex ea & forma componi. Quæ suppositio probabilis est, etsi eius contrarium sit non impossibile, ut ostendimus in loco. Materiam ergo sublunarem esse vnius speciei cum celesti, docent ex nostris Molina in opere sex dierum. disput. 5. Valquez 1. p. disp. 24. n. 10. Hurtad. disp. 1. de Cælo sect. 2. num. 15. Arriaga disp. 2. Phys. num. 159. Tellez disp. 22. Phys. sect. 4. Salmeron in epistolam 1. D. Petri cap. 3. disp. 4. Præpositus 1. p. tract. de op. sex dier. dub. 3. num. 19. Idemque probabile esse putant Conimbricenses lib. 1. de Cælo cap. 2. q. 6. art. 3. In eadem sententia fuere veteres plerique Philosophi ante Aristotelem, nempe Empedocles, Trismegistus, Xenocrates, Anaximander, Thales, Heraclitus, Anaximenes, Plato, & alij: eandem postea opinionem sequuti sunt Auicenna, Okam, Bonauentura, Ægid. Romanus apud nostros Conimbricenses ubi supra: In eadem etiam inclinat Scotus, teste P. Suarez disp. 23. met. sect. 11.

10 Probatur autem, quia si qua ratione materia sublunaris non esset vnius eiusdemque speciei, cum materia celesti, sed diuersa, maxime quia cælum est incorruptibile: at hæc ratio est nulla: siquidem incorruptibilitas cæli proficisci potest, non ex eo quod eius materia formarum sublunarium incapax sit, sicut ad diuersitatem specificam materiae celestis ac sublunaris oportet, sed ex eo, quod forma celestis sit naturaliter incorruptibilis, & à materia, quam semel possidet, expelli nescia: Quare, sicut materia prima quauis sponte sua ac per se penetrabilis, iuxta non paucos, tamen redditur impenetrabilis, per quantitatem à se realiter distinctam; & homo in statu beatitudinis per donum supernaturale efficitur incapax peccati & mortis, quorum tamen intrinsecè & per se capax est; ita similiter materia celestis, tametsi sit vnius eiusdemque speciei, cum materia sublunari, ac proinde formarum sublunarium suaptenatura capax, merito tamen formæ celestis earum incapax reddi poterit, quemadmodum opus est ad Cæli incorruptibilitatem.

11 Confirmatur, & declaratur; quia formarum sublunarium aliqua difficilior à subiecto pelluntur, quam alia, ut cernere est v. g. in adamante, & stupa: & tamen omnes in eadem specie materia suscipiuntur: quidni ergo formæ celestes & sublunares possint esse tales, ut illæ priores nullo modo possint ex natura rei à subiecto suo pelli, possint verò posteriores, tametsi ambæ eandem specie sortiantur materiam, ac proinde ex incorruptibilitate Cæli, siue inseparabilitate formæ celestis à sua materia, huius à materia sublunari diuersitas specifica haud quaquam poterit recte collegi. Confirmatur iterum: quia modus à re, cuius est modus, auelli diuinitus etiam nequit, cum tamen res à modo sæpe sæpius auellatur: similiter ergo, quamuis formæ corporum celestium & incorruptibilium à materia sua naturaliter expelli aut separari nequeant, tamen eorum materia poterit è conuerso separari à formis celestibus, & sublunaribus vniri; & sic, non obstante, Cælorum celestiumque formarum incorruptibilitate, haud repugnabit materia celestem & sublunarem eiusdem esse speciei.

12 Obiicies tamen primò: si materia celestis esset vnius

vnus eiusdemque speciei cum sublunari, non esset illa ad huius instar non posset calorem, siccitatem, aliasque similes impressiones accipere. Consequens est absurdum. Ergo &c. Minor est perspicua, quia alias ignis coelo contiguus in materiam coelestem dispositiones ultimas ad formam igneam introducere posset, adeoque coelum ignire & corrumpere: nec enim in igne deest virtus actiua, nec in materia caelesti virtus passiva, ad eas dispositiones dandas, & accipiendas. Maior autem probatur: siquidem dici nequit, quod nuper dictum est, formam coeli postulare, ne vlllo modo ea dispositiones in materiam caelestem imprimantur: quia pro illo priori, quo ignis est potens illas operari, & materia prima coeli de se apta eas suscipere, sanè à forma caelesti omnino praescinditur: ea ergo postulare nequit, nè dispositiones illae igneae pro posteriori naturae signo producantur. Antecedens suadetur, pro illo priori signo Deus de se est indifferens, ad conseruandam vel non conseruandam formam coeli, & ad exhibendum vel non exhibendum igni suum concursus ad materiam coeli igniendam: alterutrum enim de potentia absoluta in opposita sententia praestare potest: ergo pro illo priori à forma coeli praescinditur; haud aliter, ac pro priori indifferentiae ad amorem, & odium, ab vtroque praescinditur.

13 Verum facile responderi potest, vt forma caelestis exigat aliquid innatè non requiri in ea existentiam, eo quod illa exigentia innata non sit vera exigentia, sicut elicita, sed metaphorica, & secundum quid: quare, tamen pro illo priori nuper explicato non existat forma caelestis, tamen pro eo exigere poterit, ne dispositiones igneae, aut alterius formae in materiam, quam semel ipsa informarit, vnquam imprimantur. Praeterea dici etiam potest, formam caelestem existentem in primo instanti suae productionis postulare innatè, nè pro sequentibus dispositiones ad aliam formam in materiam coeli imprimantur: quam exigentiam pro praefato priori Deus prauidet; eique stare naturaliter tenetur.

14 Obiicies secundò, non esse in nostra sententia, cut, è contrario, coelum in corpora sublunaria sibi vicina non agat, formamque caelestem in eorum materiam non imprimat: siquidem materia sublunaris capax est formae caelestis; coelum autem ea actiuitate, & energia, qua corpora inferiora, & corruptibilia pollent, destituendum non est. Respondeo, quò vis resistendi in aliquo corpore maior est, eo virtus actiua in illo minor est, vt patet, verbi gratia, in auro, adamante, lapide, aliisque corporibus id genus, vtque indè etiam colligi potest, quod experientia teste è conuerso corpora magis actiua minorem sortiantur vim resistendi. Quando igitur virtus resistendi in coelo summa est, ac naturaliter vinci nescia, mirum non est, quod virtus eius actiua ad effectus secum homo geneos sit exigua, adeoque formam coeli materiae sibi contiguae, & capaci nequeat communicare. Ob hæc tamen negare non ausim vim actiuam, & vim, seu virtutem resistendi, in summo aut certè in excellenti aliquo eidem corpori substantiali completo à Deo communicari posse, in alio saltem rerum statu.

15 Tandem obiici potest contra nostram sententiam, in hunc modum. Si materia vnus coeli esset eiusdem speciei cum materia, non solum sublunari, sed etiam, quod consequens est, cuiusvis alterius coeli; atque adeò de se indifferens, & apta ad omnes formas caele-

R. P. Richardi Lyncei, Philosophia, Tom. II.

stes, ac sublunares; sanè perpetuam violentiam pateretur. Consequens hoc absurdum est: quod enim est violentum in rerum natura, nequit esse perpetuum; perpetuitasque & violentia, naturaliter loquendo, termini sunt repugnantes inuicem. Sequela autem probatur, quia potentia, capax plurium actuum specie diuersorum, haud potest vnus solius perpetua possessione satiari: at vnus cuiusque coeli materia perpetuò retinet formam illam quam semel sortita est, nec eam cum alia vlla commutat, aut commutatura est: ergo si est apta ad formas caelestes, & sublunares, quæ tot tamque dissimiles sunt, recipiendas, haud poterit satiari per formam quam habet, sed potius, ratione aeternae ad illam alligationis, aeternam patietur violentiam. Nec est simile in materiae sublunaris aptitudine ad plures formas, praeter eas quas habet: hæc enim eius aptitudo, & capacitas non est, nisi ad plures alias formas successiue habendas: atqui successiue quidem materia sublunaris plures formas consequitur: non est ergo, quod perpetuam pati censetur violentiam, & inquietudinem.

Respondeo, materiam iuxta dicta superius tract. 3. 16 c. 2. magis appetere formam substantialem cui vnitur, quam alias quibus non vnitur, propter maiorem videlicet determinationem ad illam, quam ad has: hinc est, vt materia vnus coeli ex. g. Iouis magis appetat formam Iouialem, & propriam, quam varietatem illarum formarum caelestium & sublunarium: potior ergo & principalior eius coeli appetitus semper manet satiatus, esto praedictis formis perpetuo destituta, & ad vnā solam sit alligatum: vbi autem intelligitur principalis rei appetitus satiatus, tum certè ea res censetur absolute satiata, & nulli violentiae, nedum perpetuae, subiecta: vnde aptitudo & capacitas illius coeli, & cuiusvis alterius, ad omnes & quasunque formas caelestes, & sublunares, coniuncta cum earum perpetua priuatione, haud arguet illud, aliudve vllum, non satiari vnquam, aut semper manere violentum.

C A P V T III.

Materiam sublunarem esse diuersa speciei à caelesti, probabile quoque est.

E Am certè diuersitatem specificam tuentur B. Th. 17 1. p. qu. 66. art. 2. & cum eo Caietanus Capreolus Ferrariensis, Iauellus, Hispanensis, Soncinus Heruæus, & certatim Thomistæ. Item Alensis 2. p. q. 44. membr. 2. Maior 1. physic. quaest. 3. Richardus in 2. distinct. 12. q. 8. necnon ex nostris Suarez disp. 13. met. sect. 11. & de opere sex dier. lib. 1. c. 3. Fonseca 5. metaph. c. 3. q. 2. Rubius lib. 1. de coelo c. 2. q. 6. Pereira lib. 11. philosoph. cap. 10. idemque problematice propugnant Conimbricenses à initium capitis praeced. citati.

Suadetur autem, quia possibiles sunt plures materiae diuersae inter se speciei, vt tractatu superiori manet demonstratum: tales ergo de facto sunt materia caelestis & sublunaris. Consequentia videtur bona: tum quia ea diuersitas vbi semel possibilis sit, ad pulchritudinem vniuersi, in varietate maxime sita, non modicè confert: tum etiam, quia coelorum incorruptibilitas aut à diuersitate specifica materiae caelestis, eiusque ad recipiendas formas sublunares incapacitate radicali, aut à peculiari natura & exigentia formae caelestis

D

superius

superius explicata proficisci potest: cum ergo non sit potior ratio cur ab vna potius quam ab alia oriatur tantè ab vtraque censenda est oriri.

19 Obiicies tamen ex Patre Molina supra 1. parte disputatione 2. de opere sex dierum, vbi ex capite 1. Geneseos colligi censet cælum sidereum ex materia aquæ fabricatum esse, atque adeo eius materiam eiusdem esse speciei cum materia corporum sublunarium. Siquidem cum loco citato dicitur. *In principio creauit Deus cælum & terram, terra autem erat inanis & vacua, & tenebra erant super faciem abyssi; & spiritus Domini ferebatur super aquas;* Sanè nomine cæli solum empireum intelligitur: nam firmamentum, seu cælum, sidereum, non in principio seu primo die, sed secundo factum dicitur, vt iam iam constabit: & nomine abyssi infinita quædam aquarum eluio intelligitur, quæ totum illud chaos, & interualum, positum inter tellurem & cælum empyreum, replebat inundabatque, vt ex verbis Geneseos allatis perspicue apparet.

20 Deinde cum additur; *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis; & fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab iis quæ erant super firmamentum, & factum est ita; vocauitque Deus firmamentum cælum, & factum est vespere & manè dies secundus;* his inquam verbis, nomine firmamenti, solum cælum sidereum subauditur, non vero cælum ærium, vt nonnulli perperam arbitrantur: nam quarto die dixit Deus, *fiant luminaria in firmamento cæli:* at luminaria cælestia, nimirum Sol, & Luna, & reliqua sidera, non in cælo ærio condita sunt à Deo, sed duntaxat in ætherio. Tum sic: non potuit Deus cælum sidereum siue ætherium condere, quin ingentem illam aquarum molem, in cuius spatio illud condidit, aut destrueret, aut certè in cælum sidereum conuerteret: atqui eam destruxisse siue annihilasse censendus non est: ad quid enim eam crearet, eandem secundo die statim annihilaturus? an non satius esset, aut eam non creasse, & spatium illud vacuum reliquisse, aut illud primo die cælo repleisse: eam igitur aquarum congeriem in cælum sidereum conuertit, destructaque aquæ forma in eius materiam formam cælestem impressit: quo fit cælum sidereum esse eiusdem speciei cum aqua, aliisque sublunaribus substantiis.

21 Verum respondeo, nomine cæli primo die conditi non solum empireum, sed reliquos etiam orbis cælestes; & nomine terræ quatuor elementa spatiis sibi cognatis digesta & collocata intelligi: quod cum Basilio in Hexameron, & Damasceno libro 2. fidei capite 5. complures Theologi tenent: & verba Davidis Psalm. 101. haud leuiter id insinuant nempe; *Initio tu Domine terram fundasti & operamanuum tuarum sunt cæli.* Quod autem attinet ad verba illa Genes. *Spiritus Domini ferebatur super aquas,* nomine spiritus, significatur ær, quoad locum superior quam aqua, vt docent Theodoretus questione 8. super Genesim, & alij plures apud Lipomanum, in Catena. Deinde firmamentum secundo die conditum, non cælum sidereum, vt aduersarij censent, nec sola infima aut media regio æris, vt alij haud verius existimant, intelligendum est, sed tota illa expansio cæli tam ætherij quam ærij, vt constat ex verbo Hebræo, *Rakia,*

quod firmamentum Latinus interpres transtulit: vel quia firmitudinem & soliditatem, solius ætheris propriam, toti aggregato attribuit: vel quia expansionem illam Deus secundo die firmavit, condensauit, & quasi conspissauit, sicut oportuit, ad hoc vt cælum ætherium sidera, & ærium nubes & aquas pluuias sustentarent; ob quam perfectionem, & alias plures firmamento secundo die inditas, factum conditumque dicitur eo die in sacris litteris.

Porro, quia tota illa extensio siue expansio cælorum varias habet partes, aliquid ei attribuitur, interdum secundum supremam partem, vt cum Deus in firmamento cæli stellas collocasse dicitur; aliud secundum infimam partem, vt cum firmamentum aquas ab aquis diuidere dicitur, eo quod infima æris regio aquas pluuias in media regione concretas ab aquis terreis diuidat ac secernat. Hæc ergo cum ita se habeant, viderint aduersarij, qua ratione aut necessitate aquæ à telluris superficie ad cælum empyreum vsque primò superfluere, ac deinde cælo sidereo materiam suam cedere debuerint: sicut, ad materiæ cælestis ac sublunaris identitatem specificam, iuxta ipsos, oportet.

Obiicies iterum contra nostram sententiam, ex 2. ea sequi, non solum materiam cælestem ac sublunarem, verum etiam materias diuerforum cælorum & siderum, diuersæ esse speciei: vtrumque enim ex æquo possibile est, & vtrumque æquè ad decorem & pulchritudinem vniuersi conducit. Consequens autem falsum esse, nullamque reperiri diuersitatem specificam in materiis sphaerarum cælestium docent Capreolus, Soncinas, Iauellus, & Hispanensis supra citati. Probatur autem primo, quia corpora sublunaria omnia eandem habent specificam materiam, non diuersam: Similiter ergo corpora cælestia non fortientur diuersam speciem materiam, sed eandem omnia. Secundò, quia materia definitur ab Aristotele. 1. physic. *primum cuiusque subiectum;* &c. Et rursus ab eodem, & cæteris Philosophis dici solet; *genus sumitur à materia & differentia à forma.* Atqui neutrum horum verum esse potest, nisi materia ex conceptu suo sit indifferens ad plures formas, specie diuersas; non verò alligata & determinata ad vnā solam: materia enim, quæ vnius solius subiectum sit, quomodo dici potest primum cuiusque subiectum? aut quæ fieri potest, vt amplitudo generis, eiusque illa indifferencia ad plures differentias, desumi possit à materia, quæ sit alligata ad vnā speciem formam? Hæc ergo alligatio repugnat in vlla materia prima, ac proinde in ea qua consent orbis cælestes: sed cuiuslibet horum materia esset alligata & adstricta ad vnā speciem formam cælestem si esset diuersæ speciei materia à cuiusvis alterius orbis cælestis materia: talis ergo esse non sustinet. Tertio, quia non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate: ast nulla est necessitas asserendi materias cælestes esse diuersæ speciei: specie ergo non differunt, sed potius conueniunt.

Respondeo tamen, non esse absurdum materias orbium cælestium esse inter se diuersæ speciei, sed potius valde probabile. Id certè tuentur Achilles, libro 1. de orbib. questione 2. Albertus Magnus: in tractatu de 4. coræis questione 2. articulo 2. Caietanus 1. parte questione 66. articulo 2.

Conimbræ

Conimbric. vbi supra & alij. Ad primam rationem contrariam dicendum est, hoc à posteriori constare, quod quauis materia sublunaris esse possit sub forma, non solum propria, sed etiam aliena: quare non est cur non sit eiusdem speciei, cum materia habente formam alienam, & dissimilem. At nec à posteriori, nec aliter, certò constat, materiam cuiusvis celi esse posse sub forma alterius: proinde haud debent orbes caelestes materia eiusdem speciei constare.

25 Ad alteram rationem contrariam dicendum est, non esse de conceptu materiae primae, vt sit indifferens ad plures formas speciei diuersas, sed eam esse posse adstrictam ad vnam solam, quoad speciem. Ita præter alios expressè P. Petrus Hurtado, disputatione 1. de coelo sectione 2. conclusionem 5. §. 30. Et constat, quia si materia deberet habere talem indifferenciam, & amplitudinem, maximè quia est subiectum, & non forma, in compositione substantiali: sed, quod ex conceptu subiecti non debeat esse indifferens ad plures formas specificè diuersas, liquet ex dictis supra tractatu 1. capite 5. Porro materiam esse primum cuiusque subiectum; item ab ea desumi genus & differentiam à sola forma, non vrget: siquidem hæc Aristotelis ac cæterorum Philosophorum pronuntiata intelligi debent de sola materia sublunari de facto existente: quare huic soli, non celesti, repugnabit alligatio ad vnam specificè formam, & incapacitas ad plures. Ad tertiam rationem contrariam dicendum est, haud sine necessitate multiplicari specificè materias caelestes; cum hæc multiplicitas ad decorem, & ornatum cælorum, neque non ad eorum incorruptibilitatem melius explicandam valde conducat, vt superius dictum est.

26 Tandem principaliter obiicies, materiam primam, vt sic, esse puram potentiam; ac proinde non posse diuidi in caelestem & sublunarem, vt in inferiora speciei diuersa: vti è contrario actus purus, nempe Deus, est omnino incapax multiplicatis specificæ: Item, actum esse qui distinguit: haud ergo posse materiam sublunarem, cum actus ac forma non sit, specificè distingui à celesti. Sed respondeo, hæc & similia proposita, atque exposita esse, supra cap. 1. inter defendendam possibilitatem, plurium materiarum sublunarium, inter se, speciei diuersarum.



TRACTATUS VII.

De forma componente essentialiter corpus naturale.

CAPVT PRIMVM.

An, & quid sit forma substantialis?

FORMA substantialis est actus vnus per se cum materia constituens, componensque. Quam in rebus dari, apud omnes modo constantissimum est: Vsq̃ adeo ta-

R. P. Richardi Lyncei, Philosophia, Tom. II.

men euident non est, vt actu rata probatione non egeat. Probatur ergo primò, quia datur in rebus materia prima: ac non informis substantialiter, ergo forma substantiali prædita: talis ergo forma datur. Consequentia est perspicua. Maior minorque constant ex dictis supra tractatu primo & secundo. Secundo, quia in quouis ente naturali datur aliqua prima radix, quæ certas, ac determinatas speciei operationes, & proprietates postulet: Atqui ea prima radix est forma substantialis, ergo &c. Maior experimento testatissima est: viuientia siquidem diuersas operationes, ac proprietates à proprietatibus non viuientium essentialiter postulant: & viuientia perfectiora diuersas etiam proprietates, & operationes exigunt, ac viuientia imperfecta; cuius irrefragabile signum est diuersitas illa organorum, quibus altera, & altera pollent: Rursus elementa omnia diuersas operationes, ac proprietates suo sibi iure vendicant: quo pacto alia algent, alia calefcunt, alia hument, alia arefcunt, alia sursum, alia deorsum suis momentis feruntur: Et quidem entia naturalia determinatas operationes, & proprietates vsque adeo postulant, vt semel deperditas innata quadam vi eorum non pauca recuperent, & recuperatas conseruent.

Minor autem argumenti, probatur; nam, quod omne ens naturale peculiare operationes, & proprietates postulet, non oritur à materia; quippe quæ ad has, & illas proprietates, & operationes hominis, aut equi verbi gratia, aliasve quæcumque de se indifferens est: neque etiam oritur ex eo, quod ens naturale sit corpus simplex completum, cui eæ operationes, & proprietates præ aliis debeantur: tale siquidem illud nequaquam esse in superioribus abundè demonstratum manet: nec denique proficiscitur ab exigentia alicuius accidentis: tum quia prima radix essendi in homine verbi gratia, qualis est materia prima, accidens esse nequit: tum quia in Angelo, quod eius proprietates, & operationes destinare postulat, non est aliquod accidens, sed substantia ipsius Angeli: Similiter ergo in præfenti, &c. sola ergo forma substantialis in ente naturali reliqua est, quæ certas proprietates, & operationes, tanquam prima radix, possit postulare?

Tertiò probatur dari in rebus formam substantialem, quia Leo, & equus verbi gratia, essentialiter differunt: at dici non potest, eos differre essentialiter, propterea quod sint corpora simplicia speciei diuersa: quod enim eiusmodi corpora non sint, patet ex initio tractatus primi: nec eò quod materias speciei diuersas sortiantur; cum materias omnes sublunares eiusdem esse, speciei perspicuè probatum sit capite 1. tractatus 5. præcedentis: nec quia formas accidentales speciei diuersas sibi vendicant, cum hoc non tam sit essentialiter, quam accidentaliter, eos differre: ideo ergo præcisè differunt essentialiter, quia formas substantiales speciei diuersas sibi vendicant: ac proinde hæc in rerum natura reperiuntur. Minor & consequentia manifestæ sunt. Maior probatur: tum quia, Leo, & Equus, non differunt merè accidentaliter, vt equus albus, & niger, vti lumine naturæ compertissimum est; ergo essentialiter: tum quia differre speciei dif-

D 2 ferre